Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36487
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

xpi euangelium soluat. que res iudeos eum per xpo suscipere suadebit.
in suo non dei nomine uenientem. Non retinetis quod cum essem apud uos
hec dicebamus uobis. Et nunc quid detineat scitis. hoc est que mora est ut ue
niat. Ut reueletur in suo tempore. quod nondum aduenit tempus. Nam
mysterium iam operatur iniquitatis. in his qui falsis doctrinis eius breuium
faciunt iter. quos beatus iohannes in mundum dicit exisse. Tantum ut qui
nunc tenet teneat. donec de medio fiat. et tunc reuelabitur ille iniquus.
hoc est quod dicit cum romanum inquit imperium cessauerit. et sicut daniel propheta
ait. in decem fuerit regnum diuisum. tunc antichristus reueletur. Quem dominus ihesus
interficiet spiritu oris sui. et destruet illustratione aduentus sui. Celeri im
perio uel solo flatu destruet inlustratione aduentus sui. quia sicut fulgor
ubique coruscat in mundo solutis per ignem elementis commotis. Cuius
aduentus secundum operationem est satane in omni uirtute et signis et pro
digiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt.
Sicut ante predixit dabunt signa. Ita seducent si fieri potest et iam
electos per phantasiam simulationemque uirtutum. sicut iamnes et mam
bres coram pharaone fecerunt. Quod dicit signis mendacibusque. Ideo
mendacia sunt. quia per diabolum sunt facta. et in omni seductio
ne iniquitatis his qui pereunt. Eo quod caritatem ueritatis non receperunt
ut salui fierent. Qui ueritatem dei non diligunt. diligunt uanitatem. Ideo
mittit illis deus operationem erroris ut credant mendacio. Permittet
uenire. Nam si deus permittet. non est operatio satane. Manifeste hoc loco
demonstrat apostolus iudeos in antichristum credituros. sicut dominus dicit.
Si alius uenerit in nomine suo illum accipietis. Ut iudicentur omnes
qui non crediderunt ueritati. sed consenserunt iniquitati.
Non se per incarnationem xpi obscuritatem excusent. di
uinis non credidisse uirtutibus. cum omnino crediderint diabo
lice arti fallenti. III

Nos autem debemus deo gratias agere semper pro uobis fratres dilecti a deo.
Quia caritatem recepimus ueritatis et propter hoc nos diligit deus. Eo quod
elegerit nos deus primicias in salutem in sanctificatione spiritus et fide
ueritatis. Uidens paratos ad credendum. sicut et alibi ire cupientem